

certimum quod facit corpus merum sine quo nullus color venit.

Nota bene : In arte nostri magisterij nihil est celatum à Philosophis excepto secreto artis, quod non licet cuiquam reuelare: quod si fieret, ille malediceretur, & indignationem Domini incurreret, & apoplexia moreretur. Quare omnis error in arte existit, ex eo quod debitam materiam nō accipiunt. Igitur venerabili utimini natura, quia ex ea & per eā & in ea generatur ars nostra, & non in alio: & ideo magisterium nostrum est opus naturæ & non opificis. Et sic qui nescit principium, finem non consequitur: & qui nescit quid querit, nescit etiam quid inueniet.

Scias ergo quod æs, quod est Philosophorum aurum, est aurum eorum. Dixit autem Senior: Aurum nostrum non est aurum vulgi. Quæsiuisti autem de viriditate, putans quod æs esset corpus leprosum propter illam viriditatem quam habet. Vnde enim tibi dico quod totum illud, quod est perfectum in ære est, illa sola viriditas quæ in ipso est, quia illa viriditas per nostrum magisterium vertitur citò in verissimum aurum nostrum, & hoc experti sumus. Nullo tamen modo poteris lapidem præparare absq; duenech viridi & liquido, quod videtur in mineris nostris nasci. O benedicta viriditas, quæ cunetas res generas: vnde noscas quod nullum vegetabile, atque fructus nullus apparet germinando, quin sit ibi viridis color. Similiter scias, quod huius rei generatio viridis est, quare Philosophi germen ipsum appellauerunt. Et similiter eam aquam vocauerunt suæ purificationis seu putrefactionis, & veritatem dixerunt, quia cum sua aqua putrificatur seu purificatur à sua nigredine: abluatur & album reddit ipsum, postea rubrum. vnde scias quod nulla fit tinctura vera nisi ex ære nostro. Coque ergo ipsum cum sua anima, tere, coque, reitera, donec spiritus coniungatur cum suo corpore, & vnum fiant, & habebis intentum. Sapientes autem multa nomina illi imposuerunt, sed tu considera illā solam rem quæ argento viuo & corporibus adhæret, & habebis scientiam veram. Sed vt non erres, scias quid sit adhærere in corporibus. Aliqui dixerunt, quod

170.

294.

134.

Flamm

his p. 140.